



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 8. Utrùm concupiscentia sit per se & ex natura sua peccatum originale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

trahere, nisi misericorditer ab eo ex meritis Christi præservaretur. Quo autem sensu caro B. Virginis fuerit caro peccati, jam explicatum est sine præjudicio immaculatae conceptionis ejus.

Obj. 8. Si B. Virgo non contraxit peccatum originale, non fuit redempta. *Conf.* repugnat fidei. Ergo, &c. Minor patet. Nam de fide est, quod Christus sit omnium hominum salvator & redemptor. *Prob. seq. maj.* Quia si B. Virgo non contraxit peccatum originale, nunquam fuit sub captivitate peccati. Sed qui nunquam fuit sub captivitate peccati, nunquam potuit redimi: redemptio enim supponit captivitatem: Nullus, inquit Zozimus Papa apud Augustinum epist. 157. nisi qui peccari servus est, liber efficitur; nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus.

R. dist. seq. maj. Si B. Virgo non contraxit peccatum originale, non fuit redempta à captivitate, in quam incidit, C. seq. maj. Non fuit redempta à captivitate, in quam non poterat non incidere, nisi liberatoris ac redemptoris beneficium eam misericorditer praeveniret, N. seq. maj. & dist. min. Contra fidem est, quod B. Virgo non fuerit redempta à captivitate, in quam incidit, N. min. A captivitate, in quam non poterat non incidere, nisi ei succurreret praeveniens gratia liberatoris ac redemptoris, C. min. & neg. conf. Duplex igitur distinguendus est modus redemptionis. Primus est, quo quis liberatur à captivitate, in quam lapsus est: secundus verò, quo quis eximitur à captivitate, in quam necessarîo lapsus est, nisi ab ea præservetur. Hic autem redimendi modus tam proprius est, quam alter, imò perfectior est, & magis decebat eam, quæ futura erat Mater ipsius Redemptoris, cui tam possibile fuit hoc modo, quam altero redimere. Quare ergo negabimus B. Virginem hoc modo redemptam fuisse?

Ad verba Zozimi R. redemptum dici non posse, nisi qui verè per peccatum antea fuerit captivus, aut re ipsa, aut saltem debito: ita ut debuerit esse, & certissimè futurus fuerit captivus, nisi gratia liberatoris praeveniret. Talis autem qui captivus fuit debito, non tamen in re, quia subvenit ei gratia liberatoris, redemptus dici potest propriè, & tam propriè, quam qui liberatur à captivitate, in quam re ipsa incidit. Hanc doctrinam tradit S. Augustinus enarr. in Psal. 85. ad hæc verba: *Eruiisti animam meam de inferno inferiori. Nescio quis habens, inquit, causam molestam, mittendus erat in carcerem; venit alius, descendit eum, gratias agens, quid dicit? Eruiisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant, sed quia talibus meritis agebantur, ut nisi subventum esset, ibi essent, inde se rectè dicunt liberari, quò per liberatores suos non sunt permitti perducì. Rectè igitur, juxta S. Doctorem, dicitur quis inde liberari, quò per liberatorem non permittitur perducì; proindeque rectè & propriè dicitur quis liberari à captivitate, in qua non est, sed esset, nisi liberator impediret.*

Obj. 9. Si B. Virgo non contraxit peccatum originale, nunquam habuit debitum illud contrahendi. Absurdum conf. Ergo, &c. *Prob. min.* Quia si B. Virgo nunquam habuit debitum contrahendi peccatum originale, non indiguit redemptore, quod est absurdum. *R. dist. seq. maj.* Nunquam habuit in se debitum contrahendi peccatum originale, C. seq. maj. cum enim sanctificata fuerit in primo instanti existentie sue, in primo instanti existentie sue accepit veniam peccati in Adamo commissi, & consequenter remissionem debiti peccatum originale contrahendi, argue ita debitum illud in se nunquam habuit. Nunquam habuit in alio, nempe in Adamo debitum contrahendi peccatum originale, N. seq. maj. Cum enim peccaverit in Adamo, sicut & ceteri qui ab eo naturaliter erant descenduri, habuit in Adamo debitum contrahendi maculam origina-

lem, sicut & ceteri qui ab eo descenduri erant naturaliter: unde tanta necessitate maculam illam contraxisset, quanta ceteri contrahunt, nisi misericorditer ab ea præservata fuisset: hinc tam indiguit redemptore & salvatore, quam ceteri indigent; & sicut ceteri à macula originali quam contraxerunt, emundantur per gratiam redemptoris, quando sanctificantur; ita & ipsa per eandem redemptoris gratiam à macula originali, quam alioqui certissimè contraxisset, præservata fuit, quando sanctificata fuit in ipso puncto creationis animæ, & ejus infusionis in corpusculum.

Dices. B. Virgo præservari non potuit ab originali macula per merita Christi redemptoris. Ergo vel non fuit præservata, vel certè non fuit præservata per merita Christi redemptoris. *Neg. ant. Probabilis.* Incarnatio non fuit decreta, nisi post absolutam prævisionem peccati originalis in re contrahendi ab omnibus Adami posteris, qui scilicet ab eo descenduri erant naturaliter. Ergo Deus prius absolute prævidit B. Virginem, sicut & ceteros, ut originali macula infectam pro aliqua differentia temporis, quam prædefiniret merita Christi redemptoris, & consequenter quam propter merita Christi redemptoris prædefinita, & absolute futura & prævisa, veller, aut etiam posset velle liberare B. Virginem, eamque sanctificare in tempore. Ergo, &c. *R. neg. ant. & dico Christum redemptorem fuisse decretum, & ejus merita prædefinita statim post absolutam prævisionem peccati ab Adamo, ut humani generis morali capite admittendi, proindeque Christi redemptoris & meritorum ejus absolutam futuritionem supposuisse tantum in præscientia debitum maculam originalem contrahendi in iis omnibus, qui ab Adamo descenduri erant per generationem naturalem. Unde Deus potuit velle propter merita Christi redemptoris prædefinita & absolute prævisa, non solum B. Virginem, sed etiam alios omnes, qui per generationem naturalem descenduri erant ab Adamo, à macula originali præservare.*

ARTICULUS VIII.

Utrum concupiscentia sit per se & ex natura sua peccatum originale.

Circa constitutum peccati originalis variae sunt heterodoxorum sententiae. Prima est Illyrici, docentis peccatum originale esse imaginem substantialem diaboli, in quam transformatur anima propter peccatum Adam. Hoc Illyrici delirium sua absurditate refellitur. Vide Bellarm. lib. 5. de statu peccati cap. 2. & 3. Secunda, quam aliqui Lutherani aliquando in scriptis suis defendunt, constituit peccatum originale in peccatis actualibus, hoc est, in pravis motibus cordis contra Deum; vel, ut loquitur Melancthon in locis communibus, in actuali quadam prava cupiditate. Sed hæc sententia est manifestè falsa. Nam parvuli etiam in utero materno habent peccatum originale, & tamen tunc nullum habent aut etiam habere possunt peccatum actuale; cum tunc careant usu rationis & libertatis: unde Apostolus Rom. cap. 9. de Jacob & Esau loquens, sic ait: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, &c.* Tertia, quæ omnibus Lutheranis & Calvinistis communis est, docet peccatum originale esse corruptionem naturæ, hoc est, ignorantiam, difficultatem, propensionem ad malum, & alia similia, quæ nos vulnera naturæ appellamus. Tenent igitur Lutherani & Calvinistæ communiter, corruptionem naturæ, ac præsertim concupiscentiam, seu pronitatem ad bona sensibilia contra præscriptum rationis, qualis invenitur etiam in regeneratis & justificatis, per se & ex natura sua esse peccatum originale, sic tamen ut credentibus ad damnationem non imputetur. Sed contra hanc hæresim sit

RESPON-

RESPONSIO.

Concupiscentia non est per se & ex natura sua peccatum originale.

Prob. Illud non est peccatum originale per se & ex natura sua, quod potest existere, & tamen non esse peccatum. Atqui concupiscentia potest existere, & tamen non esse peccatum. Ergo, &c. Major evidens est ex terminis: nam quod est per se & ex natura sua tale, semper est tale; cum rerum natura sit immutabilis; & consequenter quod est per se & ex natura sua tale, existere non potest, quin sit tale. Neque hoc negabunt adversarii. *Prob. ergo min.* Concupiscentia remanet in regeneratis per baptismum, & tamen in illis non est amplius peccatum. Ergo concupiscentia potest existere, & non esse peccatum. Consequentia patet. Prima verò pars ant. constat omnium experientia. Sola igitur pars altera indiget probatione, &c.

Prob. 1. Ex Apostolo in sua ad Rom. epistola, ubi postquam c. 7. in persona sua ostendit manere concupiscentiam in iustis, qui cum inviti carne serviunt legi peccati, mente serviunt legi Dei, statim subicit cap. sequenti: *Nihil ergo nunc damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant*, hoc est, nihil est damnatione dignum in iustificatis, qui desideria carnis non sequuntur, quamvis maneat in illis carnis concupiscentia, quæ identidem illos ad peccandum sollicitat; quia & concupiscentiam illam, & motus ejus inordinatos inviti patiuntur, illaque nequaquam reluctante, & ad malum propendente, mente serviunt legi Dei, nulla in re gravi eam transgrediendo. Ex his autem sic argumtor breviter. Si concupiscentia, quæ remanet in regeneratis per baptismum, esset adhuc in illis aliquid æternæ damnatione dignum: nam peccatum originale meretur æternam damnationem. Atqui in regeneratis per baptismum, cum sint in Christo Jesu, cum sint iustificati, nihil prorsus est quod sit æternæ damnatione dignum, ut patet ex verbis Apostoli. Ergo, &c.

Prob. 2. ex Conc. Trid. sess. 5. c. 5. ubi sic loquitur: *In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere conscripti sunt cum Christo per baptismum in mortem: qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel somitem, hæc sancta Synodus fatetur & sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet. Quin immo, qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Quibus verbis Novatorum doctrina differtur damnatur. Certè si concupiscentia in renatis non aliter dici potest peccatum, quam improprie, quatenus est effectus & causa peccati, nec est nec potest esse peccatum per se & ex natura sua.

Prob. 3. Ex S. Augustino, cujus pauca ex plurimis, quæ allegari possent, referemus loca. Sic itaque loquitur de concupiscentia, quæ in baptizatis & iustificatis remanet, lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 13. *Etiamsi vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur, sicut scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit.* Et lib. 6. contra Julianum, c. 16. sic eum alloquitur: *Tu autem, qui putas quod si malum esset concupiscentia, caret ea, qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo.* Et item, 6. de verbis Apostoli. *Restat ergo cum carne confictus (in renatis,) quia deleta est iniquitas, sed manet infir-*

mitas, juxta S. Doctorem, concupiscentia in renatis non aliter est peccatum, quam scriptura manus est; & sicut scriptura manus dicitur metaphorice, quia manus eam fecit; ita concupiscentia in renatis metaphorice peccatum dicitur, quia pena peccati est, & peccato facta est. Item concupiscentia malum est, non peccatum; infirmitas est, non iniquitas. Item renatus caret omni peccato. At quomodo caret omni peccato, si concupiscentia, quæ in eo remanet, adhuc peccatum est? Vide alios Patres apud Bellarm. lib. 5. de statu pecc. c. 8.

Prob. 4. ratione. Si concupiscentia esset per se & natura sua peccatum originale, cum in renatis remaneat concupiscentia, peccatum originale non deleteretur per baptismum. Consequens repugnat fidei: nam ut dicit Apostolus loco citato, nihil damnatione dignum est in iis, qui per baptismum regenerati sunt. Hinc illud Augustini lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 3. *Diximus baptismum dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere.* Et illud lib. de continentia cap. 7. *Languorem istum (nempe concupiscentiam) culpa meruit, natura non habuit: quam sanè culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remisit.* Synodus denique Tridentina sess. 5. can. 5. sic pronunciat: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari: anathema sit.* Ergo, &c.

Obj. 1. Tenemur odisse concupiscentiam. Item Deus fecit omnia præter peccatum. Sed non fecit concupiscentiam. Ergo, &c. Item si concupiscentia non esset peccatum, posset experi propter aliquem bonum finem. Atqui non potest. Ergo, &c. Item Christus non assumpsit concupiscentiam. Non nisi quia peccatum est. Ergo, &c. *R. ad 1.* Si tenemur odisse concupiscentiam, tenemur illam odisse, quia languor est animæ, & nos ad peccandum allicit.

R. ad 2. Deus non fecit concupiscentiam in uno sensu, quatenus non fuit author peccati, cujus est effectus: at est in alio, quatenus hominem propter peccatum spoliavit iustitia originali, qua caro spiritui subiecta erat, & in homine sic spoliato caro adversus spiritum rebellavit. *R. ad 3.* neg. seq. maj. Itaque concupiscentia propter nullum bonum finem experi potest, non quia peccatum est, sed quia ad peccandum inducit. *R. ad 4.* Christus non assumpsit concupiscentiam, 1. quia ad redemptionem nihil proderat, sed potius per se oberat. 2. Quia Christus debuit esse plenus gratia, cui plenitudini repugnabat concupiscentia.

Obj. 2. Concupiscentia difformis est legi. Ergo peccatum est. Neg. ant. Nam si concupiscentia difformis est legi, certè difformis est legi prohibenti. At nulla datur lex prohibens pravitatem illam ad malum, quacum nascimur. *Prob. tamen ant.* Concupiscentia difformis est huic legi, *Non concupisces.* *Resp. N.* Nam hæc lex non prohibet propensionem carnis ad rebellandum contra spiritum, sed tantum ne carni adversus spiritum rebellanti consentiamus.

Dices. Id quod per se trahit ad malum, prohibetur eadem lege, qua prohibetur ipsum malum. *R. dist.* Si id, quod per se trahit ad malum, sit in nostra potestate, ita ut possimus pro arbitrio illud assumere vel rejicere, C. Si non sit in nostra potestate, ita ut illo carere non possimus, quantumvis id velimus, N. At concupiscentia, seu prinitas ad malum, quacum nascimur, non est in nostra potestate; & velimus, nolumus, illa carere non possumus.

Obj. 3. S. Augustinus docet concupiscentiam in non regeneratis habere reatum, quo reum facit hominem, & debitorem æterni supplicii. Nam sic loquitur lib. 6. contra Julian. c. 17. *Nos...eam (concupiscentiam) malam dicimus, & manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipsa erat reus, neque enim aliqua persona est; sed quo reum hominem origi-*

originaliter faciebat, fuerit remissus atque vacuatus. Et lib. 1. de nuptiis c. 32. *Hec itaque remissio peccatorum quandiu non sit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus eius cum illa sit, qui cum teneat aeterni supplicii debitorem.* Ergo ex S. Augustino concupiscentia ante baptismum peccatum est. Ergo est etiam post baptismum; cum eadem omnino maneat quoad substantiam post baptismum.

R. dist. ant. S. Augustinus docet concupiscentiam in non regeneratis habere reatum, &c. & qui ab ipsa oritur, & in ipsa fundatur: ita ut qui eam habet, reus sit, & aeterni supplicii debitor, praecise quia eam habet. N. ant. Et qui non ab ipsa oritur, neque in ipsa fundatur, sed quo ipsa facta est, & a quo separari potest: ita ut ipsa permanente, tolli possit. C. ant. & dist. 1. conf. Ergo ex S. Augustino, concupiscentia ante baptismum peccatum est per reatum, qui ab ipsa oritur, & in ipsa fundatur. N. 1. conf. Per reatum, qui ab ipsa non oritur, nec in ipsa fundatur, sed quo facta est, a quo separari, & sine quo existere potest, atque existit post baptismum. C. 1. conf. & neg. 2.

Dices. S. Augustinus docet concupiscentiam ante baptismum imputari in peccatum. Ergo ex S. Augustino, ante baptismum revera peccatum est. R. dist. ant. S. Augustinus docet concupiscentiam ante baptismum imputari in peccatum per se & ratione sui praecise. N. ant. Imputari in peccatum ratione alterius, nempe reatus, quo facta est, & quocum ante baptismum conjuncta est. C. ant. & dist. conf. Ergo ex S. Augustino, concupiscentia ante baptismum revera peccatum est per se & ratione sui praecise. N. conf. Ratione alterius, nempe ratione reatus, quo facta est, & quocum conjuncta est ante baptismum. C. conf.

Dices. S. Augustinus docet remitti concupiscentiam per baptismum. Non nisi, quia peccatum est ante baptismum. Ergo, &c. *Prob. maj.* Nam v. g. sic loquitur S. Doctor lib. 1. de nuptiis c. 23. *Hec concupiscentia, quae solo Sacramento regenerationis expiatur, profecto, peccati vinculum trajicit in posteros, nisi ab illa & ipsi regeneratione solvantur.* R. dist. maj. S. Augustinus docet concupiscentiam remitti in baptismo per condonationem reatus, qui ex ipsa oritur, & in ipsa fundatur. N. maj. Per condonationem reatus, quo facta est, & sine quo esse potest. C. maj. Igitur juxta mentem S. Doctoris, concupiscentia remittitur in baptismo, quatenus per baptismum desinit esse imputabilis ad vituperium & poenam, & homo per baptismum desinit esse odibilis Deo propter illam. Per baptismum autem desinit esse imputabilis ad vituperium & poenam; item homo per baptismum desinit esse Deo odibilis propter illam, quatenus per baptismum tollitur reatus quo facta est, hoc est, quatenus per baptismum homini remittitur culpa, cujus est effectus & poena, & quae tandiu in homine, naturaliter ab Adamo descendente, moraliter perseverat, quandiu per baptismum non condonatur, id est, quandiu hominis jus, quod habet ad odiendum & puniendum ipsum poena aeterna, non relaxat Deus, cum justificando per sacramentum regenerationis. Sed ad plenioram S. Augustini doctrinam intelligentiam.

Nota. Concupiscentia, juxta mentem S. Doctoris, non alio modo peccatum est in non renatis, quam v. g. caecitas peccatum est in eo qui sibi ipse effodit oculos. Caecitas autem in hoc casu non est peccatum per se & ratione sui; nam esse caecum praecise, non est aliquid homini imputabile ad vituperium & poenam, & Deo odibile; sed ratione alterius tantum, nempe voluntariae effossionis oculorum: homo enim verè dignus est vituperio, poena, & odio Dei, quod sua gravi culpa caecus sit.

Item caecitas hominem reum facit, non per reatum qui ex ipsa oritur, & in ipsa fundatur; nam caecitas per se & ratione sui praecise, est solum defectus, seu carentia perfectionis, homini naturaliter debita; sed per reatum, quo facta est, nempe per effossionis ocu-

lorum reatum, moraliter in homine permanentem in ordine ad certos effectus morales, quandiu effossio illa non condonatur à Deo.

Item caecitas peccatum est, & reum hominem facit per reatum à se distinctum, & separabilem, quippe qui tolli potest, ipsa permanente, & qui re ipsa tollitur per condonationem voluntariae effossionis oculorum, cujus est effectus formalis, & cujus proinde sublata per condonationem morali perseverantia, ipsum cessare necesse est.

Item caecitas defectus simul & peccatum est, quandiu non condonatur voluntaria oculorum effossio, qua procurata est; seu, quod idem est, quandiu non tollitur reatus quo facta est, & quo moraliter informatur atque constituitur in ratione peccati. Ratio est, quia tandiu homini caecitas ad vituperium, poenam & odium jure imputatur à Deo, quandiu moraliter permanet culpabilis actio, cujus est effectus, & tandiu haec actio permanet moraliter, quandiu non condonatur.

Item caecitas, sublato, quo facta est, reatu per condonationem culpabilis effossionis oculorum, non aliam amplius habet rationem, quam defectus & carentiae perfectionis naturalis; quamvis, ut sic loquar, permaneat eadem omnino quoad substantiam. Ratio est, quia per condonationem illam sublata est ejus imputabilitas ad vituperium, poenam & odium.

Denique caecitas, & culpabilis actio, cujus est effectus, moraliter perseverat quandiu non condonatur, faciunt unum quoddam totum, quo homo habitualiter maculatur, & vituperio, poena & odio dignus efficitur, quod proinde totum rectè dicitur & est peccatum habituale, cujus pars materialis est caecitas; pars verò formalis actio culpabilis, qua procurata est caecitas, cujus proinde actionis culpabilis morali permanentia per condonationem cessante, desinit simpliciter illud totum, quod antea in peccatum imputabatur; non potest tolli moralis permanentia actionis, qua procurata est caecitas, quin simul indivisibiliter tollatur moralis permanentia ipsiusmet caecitatis, qua imputabilis est; nec potest condonari culpabilis causa caecitatis, quin simul & indivisibiliter ipsa caecitas, quae imputabilis est, condonetur; cum tota ejus imputabilitas sit ejus causa culpabilis non condonata.

Similiter secundum mentem S. Doctoris, concupiscentia non est peccatum per se & ratione sui; quia habituale ad malum pronitatem habere praecise, & sublata omni culpa, cujus haec pronitas sit effectus, non est aliquid homini imputabile ad vituperium, poenam & odium Dei; sed ratione alterius, nempe peccati, à nobis Adami voluntate commissi; & idcirco nobis ab instanti animationis proprii & intrinseci moraliter: unusquisque enim nostrum dignus est vituperio, poena & odio Dei, quod sua gravi culpa, quandiu scilicet haec culpa per baptismum, aut alia via non tollitur, habitualem habeat carnis deordinationem, & rebellionem adversus spiritum.

2. Concupiscentia reum facit hominem, non per reatum qui ex ipsa oritur: & in ipsa fundatur, quasi habere concupiscentiam praecise, sit reum esse; nam concupiscentia per se & ratione sui praecise, est tantum malum quoddam, languor & infirmitas; sed per reatum quo facta est, hoc est, per reatum peccati, à nobis Adami voluntate commissi, in nobis ab instanti animationis moraliter permanentem in ordine ad certos effectus morales, id est, in ordine ad imputabilitatem ad vituperium, poenam & odium Dei, donec ab illo liberemur, & renascamur per sacramentum regenerationis.

3. Et ita concupiscentia peccatum est, & reum facit hominem per reatum à se distinctum & separabilem, quippe qui tolli potest, ipsa permanente, & qui re ipsa tollitur per baptismum, in quo nobis condonatur peccatum, à nobis Adami voluntate commissum, cujus peccati formalis effectus est, & cujus proinde per baptismum sublata morali permanentia, ipsum desinere necesse est.

4. Con-

4. Concupiscentia malum, languor, infirmitas simul & peccatum est, quando non condonatur nobis peccatum, quod Adami voluntate commissum, & quo procurata est; seu, quod idem est, quando non tollitur reatus ille, quo facta est, & quo moraliter informatur atque constituitur in ratione peccati. Quia concupiscentia ad vituperium, pœnam æternam & odium tandiu nobis iure imputatur à Deo, quando in nobis moraliter permanet actio graviter culpabilis, cuius est effectus, & tandiu hæc actio in nobis permanet moraliter, quando nobis non condonatur.

5. Concupiscentia, sublato, quo facta est, reatu per condonationem peccati, à nobis Adami voluntate commissi, nosque, quando non condonatur, moraliter inficiens & maculans, non aliam amplius habet rationem, quam mali, languoris, infirmitatis & pœnæ, quamvis permaneat eadem omnino quoad substantiam, quia per condonationem illam sublata est ejus imputabilitas ad vituperium, pœnam æternam & odium Dei.

6. Concupiscentia, & peccatum à nobis Adami voluntate commissum, moraliter perseverans, quando non condonatur, faciunt unum quoddam totum, quo homo non regeneratus, maculatur, & vituperio, pœna æterna atque odio Dei dignus efficitur, quod totum dicitur & est peccatum originale, hoc est, peccatum habituale, hominem ab origine seu ab instanti animationis habitualiter maculans, cuius pars materialis est concupiscentia, quamvis non sola, ut infra videbitur; pars verò formalis peccatum, à nobis voluntate Adami commissum, quo concupiscentia facta est, & cuius per condonationem in baptismo factam, morali permanentia cessante, desinit simpliciter illud totum, quod ab origine in peccatum imputabatur: non enim potest tolli moralis permanentia peccati, quo facta est concupiscentia, quin simul & indivisibiliter tollatur moralis permanentia ipsius concupiscentiæ, quæ imputabilis est; nec potest condonari culpabilis causa concupiscentiæ, quin simul & indivisibiliter ipsa concupiscentia, quæ imputabilis est, condonetur; eum tota ejus imputabilitas sit effectus formalis causæ ejus non condonate: Deus igitur condonans ei qui baptizatur, causam concupiscentiæ, hoc ipso formaliter & immediate condonat ei totam concupiscentiæ remanentis imputabilitatem.

7. Denique, ut dicta contrahamus, sicut eo casu, quo homo sibi ipse effodit oculos, cæcitas ante condonationem illius voluntariæ effossionis peccatum est, quia homo vituperabilis est & odibilis Deo propter cæcitatem; & peccatum est non per se & ratione sui, sed ratione alterius, nempe voluntariæ effossionis, quia homo vituperabilis est & odibilis Deo non propter cæcitatem præcisè, sed propter cæcitatem voluntariè procuratam: non enim homo vituperabilis est & odibilis Deo, præcisè, quia cæcus est, sed quia ipse sibi per voluntariam oculorum effossionem cæcitatem procuravit: ita concupiscentia ante baptismum peccatum est, quia non renatus vituperabilis est & odibilis Deo propter concupiscentiam; & peccatum est non per se & ratione sui, sed ratione alterius, nempe peccati in Adamo commissi, quia non renatus vituperabilis est & odibilis Deo, non propter concupiscentiam præcisè, sed propter concupiscentiam voluntariè procuratam per Adami voluntatem; nam non renatus non est vituperabilis & Deo odibilis præcisè, quia concupiscentiali morbo laborat, sed quia morbum hunc concupiscentialem voluntariè contraxit per peccatum Adami voluntate commissum.

Item sicut eodem casu cæcitas post condonationem voluntariè effossionis oculorum, non est amplius peccatum, eò quod post hanc condonationem homo non potest amplius vituperari & odio haberi à Deo propter cæcitatem, quia Deus condonando voluntariam oculorum effossionem, condonavit homini cæcitatem voluntariè procuratam, seu quia Deus condonando voluntariam oculorum effossionem, cessit juri quod habebat ad vituperandum & odio habendum hominem propter cæcitatem voluntariè procuratam;

seu quia vituperabilitas & odibilitas hominis propter cæcitatem voluntariè contractam, erat effectus formalis voluntariæ effossionis oculorum, moraliter permanentis, donec condonaretur, cuius proinde morali permanentia per condonationem sublata, vituperabilitatem & odibilitatem hominis propter cæcitatem voluntariè contractam cessare necesse fuit: ita concupiscentia post baptismum non est amplius peccatum, eò quod post baptismum homo non potest amplius vituperari & odio haberi propter concupiscentiam, quia Deus per baptismum condonando peccatum Adami voluntate commissum, condonavit homini morbum concupiscentialem voluntariè contractum; quia Deus per baptismum condonando peccatum Adami voluntate commissum, cessit juri quod habebat ad vituperandum & odio habendum hominem propter concupiscentialem morbum voluntariè contractum, quia vituperabilitas & odibilitas hominis propter concupiscentialem morbum voluntariè contractum, erat effectus formalis peccati in Adamo commissi, & homini ab instanti animationis moraliter inexistens, donec condonaretur per baptismum, cuius proinde morali inexistencia per baptismum sublata, vituperabilitatem & odibilitatem hominis propter concupiscentialem morbum voluntariè contractum, cessare necesse fuit.

ARTICULUS IX.

Exponuntur variae Catholicorum sententiæ circa constitutionem peccati originalis.

Prima sententia est Magistri Sententiarum lib. 2. dist. 31. §. 2. & 3. & aliquorum aliorum, qui docent, 1. Esse in homine duas malas qualitates, unam scilicet in anima, & alteram in carne, quæ posterior prioris causa est, & sic anima ex contactu carnis polluitur. 2. Utramque hanc qualitatem morbidam dici posse concupiscentiam. 3. In priore, nempe in qualitate morbida animæ peccatum originale consistere. Volunt igitur peccatum originale nihil aliud esse, quam concupiscentiam, id est, morbidam in anima qualitatem, prava desideria perpetuò excitantem. Hæc autem sententia à sententiâ Lutheranorum differt in duobus. 1. enim Lutherani qualitatem superadditam non admittunt, sed potius explodunt. 2. Lutherani censent concupiscentiam etiam post baptismum esse peccatum propriè dictum, quod Catholicis minime concedunt.

Hæc autem Magistri sententia defendi non potest. Nam concupiscentia vitium est, quo propendimus ad bona sensibilia contra præscriptum rationis. Vitium autem illud perperam constituitur in una, vel multiplici qualitate morbida, corpori & animæ superaddita: nihil enim aliud est, quam appetitus materialis, qui hoc ipso pronus est ad concupiscendum, hoc est, ad erumpendum in motus inordinatos & rectæ rationi contrarios, quod non continetur amplius per originalis iustitiæ donum, quod, quantum ad subjectionem carnis ad spiritum, irreparabiliter amissum per peccatum à nobis in Adamo commissum. Unde fit, ut ipsa anima, propter naturalem & intimam quam habet cum appetitu materiali, affinitatem, prona sit ad desideria illicita circa bona sensibilia. V. plura apud Bellarm. lib. 4. de statu pecc. c. 15.

Secunda sententia est Catharini & Pighii, & tenent peccatum originale nihil aliud esse, quam peccatum illud Adami primum, quo præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali transgressus est. Quod si rectè explicaretur, sustineri posset. Sed dicunt, 1. Peccatum originale esse unum & idem in omnibus hominibus. 2. Hoc peccatum fuisse in primo homine re ipsa, in reliquis verò esse tantum per imputationem. 3. Nihil esse in infantibus, illis intrinsecum, quod veram habeat rationem peccati. Hæc autem doctrina repugnat Tridentino sess. 5. can. 3. ubi dicitur: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione,*